

65/2A
J. Abdina E

INTRODUCTIO:

Deus, qui caritas est (1 Io ^{hominem}), ita ~~naturam humanam~~ ^{eidem} condidit homi-
ni facultatem amoris personalis tribuens, ut institutum matrimoniale pe-
culiari modo caritatem divinam manifestaret. Vocatio ad statum matrimonia-
lem, quae communis et ordinaria est, personam ad perfectionem ordinat in
coniugali communitate acquirendam et manifestandam. Nonnulli tamen ad caeli-
batum vocantur, qui status et vere honestus esse potest et quandoque, si
scilicet propter amorem regni coelorum amplectitur, matrimoniali statu
perfectior est.

1. - (Dignitas viri et mulieris) Ipse Deus creavit hominem in virum et
mulierem distinctum (cf. Mt. 19, 4) et teste SS. opera Domini universa sunt
valde bona (cf. Eccli. 39, 21). Unde etiam ea quae propter hanc distinctio-
nem ~~maxime~~ in viro et muliere inveniuntur sunt per se bona et honesta. Utri-
que, viro et mulieri, aequaliter communicavit dignitatem hominis ad imagi-
nem Dei facti, Bonitas Dei resplendet etiam in distinctis eorum qualitati-
bus quibus reperuntur ad invicem simul et ad Deum. Manentes igitur vir et
mulier in propria aequalitate et dignitate ut personae ad imaginem Dei
factae, proprias habent a Creatore datas distinctas ac complementares qua-
litates et functiones. Unde secundum has distinctas et proprias qualitates
vir et mulier iuxta ordinem divinum servant et promoveant. Est igitur
doctrina catholica aequae aliena tum ab humanae sexualitatis diminuta
aestimatione sive biologica, sive psychologica, sive sociologica, cum ab
exaggerata eorum opinione quae constitutionem ipsam et perfectionem per-
sonae humanae in hac sexuali ratione quasi exhauriri autumant.

2. - (Bonum et valor castitatis) Attento etiam solo ordine naturali sive
vir sive mulier habent inditum officium servandi valorum hierarchiam. Et
ideo per virtutem castitatis vocata est persona ut sibi dignum affirmare
et promovere hierarchiam bonorum et ordinare impetus affectusque sexuales.
Hi positive, iuvante Dei gratia spiritui debite ordinantur et per hoc homo
ad altiora evehitur; atque ita respectus ad invicem inter viros et mulieres
etiam in societate digni fiunt persona humana. Est igitur castitatis serva-
tio et promotio valor et momentum non tantum christianum sed etiam humanum
et naturale et non tantum apud solutos sed etiam apud ipsos coniugatos.

3. - (Matrimonii origo et dignitas et ordinatio naturalis) Providit
idem Deus humani generis multiplicationi per matrimonii institutionem (cf.
Gen. 1, 27-28; 2, 18-25; Mt. 19, 14). Attento igitur suo ipso ordine divino
matrimonium natrualem in primis habuit et servat dignitatem et ordinationem.
Ordinatio enim prima et principalis ipsius instituti matrimonii, spectata
ipsa sola natura, est ad prolem gignendam per actus naturaliter aptos etsi
particulare matrimonium non sit foecundum; atque ad prolem educandam.
Hanc ordinationem persequendo persona humana cum Deo, per paternitatis et
maternitatis dignitatem, sociam confert operam ad humani generis propaga-
tionem et multiplicationem. Aliae autem ordinationes obiectivae scil.
ex indole ipsius matrimonii et ideo ab ipso Deo intentae, sunt mutuum ad-
iutorium (cf.) solatiumque in vitae domesticae communiione et remedium,
quod dicitur, concupiscentiae. Quae aliae ordinationes, natura sua primae
inservientes, debite intentae vera iura constituunt; et ideo non parvipen-
dendae neque spernendae, sed debito modo in vero amore et charitate promo-
vendi. Immo ipsa procreatio et educatio sit vere humana personae digna.

. - (De caritate coniugali) Supra enim omnia iura obligationes et virtutes in vita coniugali proprium principatum tenens splendet caritas, quae etiam in vita coniugali alias leges supponit et implet, immo complet et elevat, monente Apostolo: "Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam" (Eph. 5, 25). Quapropter amor christianus coniugalis non tantum excellat oportet gloriosis insignibus caritatis, ab Apostolo exaltatis (cf. 1 Cor. 13, 4-7), sed quantum fieri potest imitari debet, suo modo, amorem Christi erga Ecclesiam (cf. Eph. 5;28), sanguine acquisitam (Act. 20,28). Est igitur caritas amoris coniugalis perfectio ac plenitudo nam etiam de statu matrimonii valet verbum Domini plenitudinem legis esse dilectionem (cf. Rom? 23, 10).

Societas familiaris.

a) Eius natura

b) Procreatio responsabilis.

Coniugum ultimatum ius et officium est communiter decidere de moderandis illis actibus a quibus pendent et numerus filiorum et tempora procreationis. Quam decisionem sibi magis magisque in dies imponi sentiant progressionibus scientiarum de condicionibus physiologicis procreationis humanae. Ipse coniugalis amor, si verus amor sit et praesertim si caritate elevatur, egoistice inter duos sponso clausus remanere nequit. Minime tamen ignorat SS. Synodus quot et quantae difficultates, hodiernis praesertim in adiunctis, coniugibus occurrere solent. In singulis casibus, quamvis regula aliqua quantitativa et mechanica pro omnibus valens statui nequeat, ponderandum erit quid condiciones individuales, quid bonum totius familiae, ~~quid praevisionis~~ quid praevisionis possibilitates puerorum humanae et christianae educationis, quid alia bona socialia innuant; iuxta ~~dictamen~~ dictamen prudentiae christianae, quae, fide illustrata et spe roborata christiana, etiam sacrificia non renuit. Societatis institutiones ad hoc cooperentur, ut coniuges propria responsabilitate hanc quaestionem solvere possint